

Bibliothèque numérique

medic@

Yvelin, Pierre - candidat / Renault,
Jacques - président. - An ventres
hyeme & vere Naturâ calidissimi ?

1669.

*Paris : Ex Typographia F.
Muguet, Regis ac Illustrissimi
Archiepiscopi Parisiensis
Typographi*

Cote : ms 2322 n°138



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : [http://www.biusante.parisdescartes
.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax01x0138](http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax01x0138)

in edito loco constitutum injuriis magis obnoxium sit, osseo tegumento Naturæ providentiâ undique circumseptum est, in ejus solum medullâ, non in membranis, facultas animalis præcipuam sedem habet, sensuum omnium motusque principium est, cum quovis aëre calidius deprehendatur, non videtur cordi refrigerando destinatum.

I I.

IMPARES essent partes principes functionibus suis obeundis, nisi nativo calore abundarent. Is est naturalium omnium operum causa, præcipuum animæ instrumentum, rectè Natura nostra dicitur, quæ à nullo licet docta, omnia doctè facit: hujus permanfione in humido vita definitur, eò diuturnior quò firmior utriusque connexio. Hunc ne putes simplicem qualitatem, substantia est humida, primigenia, calore & spiritibus perfusa, quæ copiosa est pinguis & pura non facilè dissipatur, exsiccatur, refrigeratur, atque ità injuriis tum internis tum externis potentius resistit: videre, audire, & alia Naturæ opera præstare rectè dices, at intelligere, scire omnia tum præsentia tum futura, non ita. Est-ne cœlestis vel elementaris naturæ? Propriè si loqui velis, nec cœlestis est nec elementaris, proprius est cuique viventi, vitalem rectius appellabis; nec è quatuor elementis homo creatus est, nec cætera animalia, nec plantæ, nec è cœlo quippiam deductum est quod illis permistum sit, hominis actiones (de eo potissimum loquimur cui conservando Medicina destinata est) supra naturam elementorum sunt, spiritalis Anima, incorruptibilis, immortalis, nobilius corpus exigebat cui jungeretur, nobilius instrumentum quo uteretur.

I I I.

QVI calor est in utriusque parentis fœcundo semine & materno sanguine, is verè innatus est atque primigenius, hujus qui crescunt plurimum habent, senes minimum, hi paucis, illi plurimis egent alimentis, hi facilè jejunium ferunt, illi difficilè. Cum multus est in visceribus calor, multa requiruntur alimenta quibus foveatur; si denegentur, graviter offenduntur; quæ partim ab ambiente aëre, partim à nativo calore fit dissipatio, reparationem exigit, si deficiat, perire necesse est. Potest-ne homo diù sine alimento vivere? Tempus definiri non potest, non omnium idem est temperamentum, non eadem est complexio: Hippocrates eos qui septem dierum spatio nihil edunt aut bibunt, necessario mori credidit; quosdam tamen per plures dies, menses, annos

etiam ab omni cibo abstinuisse variis exemplis probatur, omnia quæ narrantur nec leviter credimus, nec temerè rejicimus; difficilis ratio, sed experientiæ credendum est: lucernæ tanto artificio olim comparatæ sunt, ut per aliquot sæcula inconsumpto oleo flammam retinuerint, an non simile quippiam in homine, qui parvus mundus dicitur, in tantâ temperamentorum diversitate & tot sæculorum spatio contingere potest in humido primigenio, ut per aliquot menses, annos vix dissipetur? Id quæ fiat arduum est explicare, mirari licet, non nosse rationem, rara non sunt artis, ab humore melancholico fieri probabile videtur.

I V.

MA G N A est atque admodum efficax vis aëris ad sanitatis vitæque rationem, eo spiritus nutriuntur, undiquaque corpora nostra subit, principium alimenti, spiritus, nares, os, guttur, pulmo, reliquaque transpiratio: continua est ejus necessitas; cibis, potibus, exercitiis, aliisque rebus quas non naturales appellant, diù sine noxâ abstinere possumus, aëre nullo temporis intervallo carere licet, tanta est ejus dignitas, ut quod Hippocrates in morbis divinum appellavit, Galenus aëris constitutionem dixerit. Vis intelligere vires ejus, orbem universum mente perlustra, attende quanta sit inter ejus incolas pro varietate regionum, ingenij, morum, virium, staturæ, valetudinis, vitæ diversitas, ut in eadem regione temporum mutationes sanitatem lædunt, aut tuentur, morbos pariunt, & solvunt; Insignes sunt & ordinariæ quolibet anno quatuor, hyems, ver, Æstas, Autumnus, has alij æquinoctiis & solstitiis distinguunt, alij astrorum quorundam & syderum ortu & occasu, pleiadam nempe, caniculæ, arcturi, fidiculæ: prior ratio constantior & notior est, non ita mutantur pro sæculorum & clymatum ratione æquinoctia & solstitia, ut ortus & occasus syderum, non ij nunc eodem quo Hippocratis tempore contingunt, nec in diversis climatibus iisdem nunc diebus: Æquinoctia & solstitia omnes norunt, pleiadam, caniculæ, arcturi, fidiculæ ortum & occasum pauci.

V.

HY E M S frigida est & humida, si naturam suam servat salubris, servare autem non potest, nisi multum flaverint venti Aquilonij, quibus expositæ urbes *Χεῖμερος* sunt, humiditate suâ Æstatis atque Autumnus siccitatem emendat, frigiditate sanguinem & spiritus intrò repellit, eorumque dissipationem prohibet, ita vegetiore reddito nativo calore, perfectiores sunt Naturæ functiones, etsi frequentior adsit plenitudo, quæ multorum morborum causâ

esse solet, minùs tamen frequentes sunt morbi, & qui contingunt, etsi longiores, minùs tamen periculosi. Si otiosus es, utere Galeni consilio, ejus exemplum sequere, exercitio nativum calorem auge, plenitudinem cave: Ver temperatum est, saluberrimum, nativum calorem nec intrò repellit nec dissipat, sed fovet, & per totum corpus aequaliter diffundit, sanguinis generationem promovere: pueri, adolescentes, & qui optimæ temperaturæ sunt, optimè habent, nulli malè: qui contingunt morbi non sunt lethales, aliis temporibus radices egerunt, his natura expedire se aggreditur: cibi sicut hyeme & rarò & plenius possunt exhiberi, prudenter ejus initio aliquid detraxeris, ut hyeme contracta plenitudo minuatur, & si fortè erudior est, sanguis perficiatur. Æstas calida & sicca senibus & pituitosis utilis, bili generandæ apta, humores quidem facilè discutuntur, sed vires unà dissolvuntur, dissipatio reparationem exigit, calor in visceribus exiguus coctioni non sufficit, hinc pauca alimenta sed frequentius sunt exhibenda. Autumnus siccus, in calore & frigore inæqualis, non tam aut temperamenti aut inæqualitatis ratione morbosus, quàm quod æstati succedat; deficeret Natura, nisi superveniente hyeme, sanguinis & spirituum recurso, nativi caloris vires in visceribus crescerent, & vere tum in iis foveretur, tum ad exteriora sensim expanderetur; ita præteritis temporibus extenuata corpora reficiuntur, validiora fiunt & habitiora, Naturæ opera omnia sunt præstantiora, nec fortè solùm sanguinis & spirituum influentium copià majores sunt in interioribus corporis partibus insiti caloris vires, sed ejus etiam substantia augeri videtur.

Ergo ventres hyeme & vere Naturâ calidissimi.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Nicolaus Morin.

M. Franciscus de la Chambre,
Ordinarius Regis Medicus;

M. Philbertus Morisset.

M. Carolus Patin.

M. Alanus Lami.

M. Hermannus de Launay

M. Philippus Chartier, Medicus
& Professor Regius.

M. Claudius Quartier.

M. Philippus Harduinus
de S. Jacques.

Proponebat Lutetiæ PETRVS YVELIN, Parisinus,
A. R. S. H. M. DC. LIX.

Ex Typographia F. MUGUET, Regis ac Illustrissimi Archiepiscopi
Parisiensis Typographi.